

1496 magnum impedimentum afferebatur , plurimo usui ea in re fuerunt . quibus quidem navibus aliæ naves longæ complures additæ , eundem sane usum atque operam reipublicæ præstiterunt , hostium navibus , commeatibusque qui Triturritam invehebantur , deinde in eorum castra conportabantur , saepe disjectis fugatisque , saepe captis . Neque tunc terrestres reipublicæ copiæ in cessatione fuerunt , sed & castella hostium aliquot sunt ab iis capta , & legatus eorum Petrus Capo interfactus , & prælia nonnulla secundiora facta . Quo etiam tempore Pisani Librafactæ castellum ipsorum , quod ab eisdem Gallis , qui arcem Pisianam restituerant , etiam nunc obtinebatur , auri libris triginta præfecto traditis magna hostium invidia recuperaverunt . Omnibus autem ex utilitatibus , quas quidem classis exercitusque reipublicæ in medium ejus belli contulit , eaæ crebriores neque postremæ fuerunt , quæ ab Græcis sunt equitibus profectæ . nam & prædæ saepe ingentes abactæ ab illis sunt , & plurimi commeatus intercepti , & hostium turbata eorum audacia , atque celeritate consilia : quodque magis mirum videbatur , castella quoque ab iis nonnulla capta : cædes vero pluribus locis factæ : ut laudari & bene de republica meriti existimari jure possent .

*Senatus &
Italorum
principum
consilia in
Gallor.*

Dum hæc ad Pisas geruntur , e Gallia transalpina nuncii venerunt , ab rege Carolo redditum in Italiam magno studio comparari : ipsum paucis diebus ad Lugdunum fore : in via quidem certe jam esse . quamobrem Ludovicus a Senatu quæsivit , vellet ne , si Carolus urgeat , sibi exercitum & auxilia mittere : nam se promeritum , ne quam sui curam respublica fumeret , probe intelligebat . Senatus ei respondit : *Tametsi Pisano bello implicata civitas esset , cui bello quanto studio , quantisque impensis opus sit , sciret ipse omnium optime , tamen se in eo tuendo non defuturum .* Simul Marcum Beatianum ad Helvetios misit , qui eis ab republica stipendium polliceretur , ne ad Carolum se converterent . Pauloque post , cum Triultius Gallorum manum secum ducens

traje-

*Greco-
rum
equitum
strenuitas.*